DE VERBORUM PEREGRINORUM APUD SCRIPTORES ROMANOS USQUE AD CICERONIS TEMPORA USU ET COMPENSATIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

quam ad summos in philosophia honores ab amplissimo philosophorum ordine Universitatis Gryphiensis rite impetrandos scripsit

ALOYSIUS NENTWIG
Silesius.

De dissertatione probanda ad philosophorum ordinem rettulit
Ernestus Lommatzsch p. p. o.
decano Erico Pernice p. p. o.
Examen rigorosum habitum est a. d. III Kal. Aug. MCMXIV.

Permissum est a philosophorum ordine, ut prima tantum dissertationis pars publici iuris fieret.

Gryphiae MCMXIV.
Expressum Coeslini typis C. G. Hendess G. m. b. H. MCMXXIV.

PARENTIBUS
MAGISTRIS
CARISSIMIS

Praefatio.

Compluribus iam disputationibus verba facta esse de vocabulis ex alienis linguis in Latinum sermonem receptis quamquam nemo est qui nesciat, tamen nullius fere scriptoris usus adhuc plane pervestigatus est ea qua oportet diligentia, ut leges, quae in Graecis nominibus assumendis apud Romanos valuerint, perlucide intellegi possint. Praeter ceteros in hac re magno cum fructu imprimis elaboraverunt G. A. Saalfeld [1]) et F. O. Weise [2]), qui summa diligentia ex quibus vitae generibus Romani verba extera receperint, copiose et acute perscrutatus est. Porro de re universa disputaverunt J. N. Tuchhaendler in diss. inaug. *de vocabulis Graecis in ling. Lat. translatis* (Berol. 1876), cuius disputatio exorsa ab initio litterarum in Lucilio substitit; Ern. Beermann in libello, qui inscribitur *Griech. Wörter im Latein.* (Sprachwiss. Abhand. Leipzig 1874); Aloysius Vaniček *Fremdwörter im Griech. und Lat.* Leipzig 1878, qui de nonnullorum verborum etymologia quaesivit.

Attamen omnes hi viri doctissimi, id quod vel ex ipsa titulorum ratione colligere licet, verba peregrina nonnisi alphabetico ordine enumerando nullius scriptoris usum penitus pervestigarunt. Hanc disserendi rationem primus attigit Alb. Goerke diss. inaug. quam inscripsit *symbola ad vocabula Graeca in ling. Lat. recepta* Kgsb. 1868 (sed dissertatio modo de fabulis Plautinis typis expressa est); huius vestigia secuti sunt: Bouter-

---

[1]) Imprimis libro, qui inscribitur: *Tensaurus Italograecus* Wien 1884. Deinde: *de Graecis vocabulis in ling. Lat. translatis* Diss. 1874. — *Index Graecorum vocabulorum quaestiunculis auctus* 1874. — *Griech. Lehnwörter im Lat.* Progr. Wetzlar 1877. — *Die Lautgesetze der griech. Lehnwörter im Lat.* 1884.

[2]) *Die griech. Wörter im Latein* Leipzig 1882. Preisschr. der fürstl. Jablonowsk. Gesellschaft.

wek *die griech. Wörter bei Lucilius* (Philol. 32, 1873 p. 691); Gaebel—Weise *zur Latinisierung griech. Wörter* (Arch. für l. Lex. 8 p. 339), qui viri docti voc. per., quae primum a scriptoribus Romanis usque ad Varronis aetatem usurpata videntur esse, collegerunt; A. Font *de Cic. Graec. voc. usurpante* (Paris 1894), qui diligenter disquisivit, cur Cic. Graece scripta verba imprimis in epistulis usurpaverit.

Quae omnes disputationes quamquam diligentissime compositae, non ostendunt, quas rationes illi scriptores, praecipue si comparaveris cum prioribus vel posterioribus auctoribus, in voc. per. cum recipiendis tum compensandis adhibuerint. Verborum compensationem ext. primus attigit Benno Linderbauer in libello *de verb. mutuatorum et peregrinorum apud Ciceronem usu et compensatione* inscripto (Progr. Metten I 1891. II 1892.); in parte quidem priore temporum ordine servato de voc. ext. in singulis Cic. scriptis usu disputatur, in parte posteriore — non librorum seriem, sed rerum ordinem secutus — Linderbauer eam rationem, qua Cic. in verbis alienis compensandis vel interpretandis usus sit, enucleare studuit, ita ut propter secundae partis dispositionem interdum non modo non apertum fiat, ad quas rationes in voc. per. vitandis Cic. profectus sit, sed ne intellegi quidem possit, utrum in prioribus scriptis aliter se gesserit atque in posterioribus necne.

Itaque mihi videtur operae pretium esse, a quo initio verb. per. apud scriptores Romanos usus et compensatio profecta sint, rimari. Quoniam autem neque tempus neque vires sufficiunt ad totam antiquitatem perlustrandam, ab initio poeseos Romanae exorsus terminum huius dissertationis Ciceronis scripta delegi. Sequitur ut de via et ratione, quam in hac disputatione inii, nonnulla praemittam. Ac primum quidem non comprehenduntur nomina propria, quae separatim tractari necesse est [1]); neque tractabo vocabula mutuata, sed verb. per.; peregrina quidem vocabula puto esse haec: primum

[1]) Proferam hoc loco dissertationem Ludovici Sniehotta *de voc. Graec. apud poetas Lat. dactyl. ab Enni usque ad Ovidi tempora usu* (Bresl. philol. Abh. 9, 2), qui imprimis de nom. propriis dixit et causas attulit, quibus adducti sint poetae, ut Graec. formas hic illic ponerent.

omnia Graece scripta verba [1]) nec minus illa, pro quibus respondentes Latinae voces exstabant et quae scriptores Romani aliqua de causa usurpabant, velut metro coacti ut *zephyrus* pro *favonio, barathrum* pro *voragine,* vel propter poeticum colorem ut *pelagus* et *pontus;* deinde ea vocabula usu cotidiano recepta, quae etsi eorum peregrinitas sentiebatur tamen a multis scriptoribus usurpabantur, a nonnullis autem dedita opera vitabantur, ut *philosophus, philosophia, dialectica, physica, atomus;* denique omnia vocabula, quae quamquam eorum forma Latinam reflexionem retinuit, ipsa tamen non immutabantur ad domesticorum consuetudinem, velut *cyathus, barbarus, theatrum, anancaeum, triclinium.* Sed ut notio et vis verb. per. quod dico satis dilucida fiat, e contrario exempla proponam verborum mutuatorum, quae haec disputatio non comprehendit; haec enim vocabula iam dudum erant, ut ita dicam, civitate donata, ita ut eorum peregrinitas oblivioni iam esset tradita; velut dicunt, ut duo modo exempla afferam, Aelius Stilo (11 Fun.) *latro est latero ab latere, insidiator viae* et Varro ling. 5, 120 *trybla et canistra, quod putant esse latinas, sunt graeca.* Quod non mirandum est! Nam eiusmodi verborum, ut *crapula, nummus, mina, norma, amphora, thensaurus, balneum* sim. cum antiquitus recepta ad vocabulorum domesticorum similitudinem accommodarentur, vera origo tamquam caeca nocte circumfusa erat. Deinde non commemoro voc. Lat., quae originem e Graecis trahunt, velut substantiva, quae flexa sunt de substantivis vel verb. Graec. ut *sepiola, crocotula, ballista, parasitatio;* itemque neglegere constitui adiectiva ut *carinarius, crapularius, patagiarius, — atus, strophiarius, chlamydatus;* post verba, quorum stirpes a substantivis et verb. Graec. derivatae sunt, ut *atticissare, badissare, patrissare, cyathissare, obsonare, runcinare;* denique voces hybridas *antelogium, pergraphicus, manticinari, thermopotari, ineuscheme.*

Sed nonnullis locis haec quoque verba mutuata, quae imprimis in Plautinis fabulis inveniuntur, afferre coactus sum,

[1]) W. Nieschmidt *quatenus in scriptura Romani litteris Graecis usi sint* Diss. Marb. 1913.

ut Graecorum auctoritatem qualis in omnibus vitae generibus fuerit demonstrem; nam inter omnes constat Romanos non modo omnes artes litterasque Graecis debere, sed etiam permultas res ad communem vitae usum spectantes iam antiquissimis temporibus recepisse, de qua re Cic. dicit rep. 2, 34 *influxit* (temporibus Anci Marci) *non tenuis quidam e Graecia rivulus in hanc urbem, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium.* ibid. 2, 37 (Tarquinius Servium) *summo studio omnibus iis artibus, quas ipse didicerat, ad exquisitissimam consuetudinem Graecorum erudiit.*

In verb. per. disponendis quam rationem adhiberem diu dubitavi neque ipsam, qua usus sum, ab omni parte mihi probari fateor. Nam si protulissem verb. per. eo ordine, quo inveniuntur apud singulos scriptores, saepissime idem vocabulum multis locis enumerandum fuisset, et si singula litterarum genera separatim tractavissem, invicem idem auctor saepius commemorandus fuisset, velut Ennius et in historico et in philosophico et in saturarum genere; quare tertiam viam ingressus sum. Tres enim maxime rationes in verb. per. adhibendis vel compensandis respiciendas esse puto:

1. Voc. ext. nulla excusatione vel interpretatione addita quasi iam trita pro Latinis indutaque Latino colore et habitu usurpantur.
2. Verba mere planeque Graeca, forma non mutata, cum excusatione quadam et explicatione introducuntur plerumque Lat. nom. addito, quam rationem scriptores Romani imprimis in terminis technicis adhibitis secuti sunt.
3. Voc. per. vitantur et compensantur aut novo Lat. voc. fabricato aut iam usitato ad aliam significationem translato.

Primo quidem capite rationes, quas singuli scriptores ipsi de verb. per. adhibendis vel compensandis protulerint, perscrutatus sum; altera dissertationis parte comprehendi omnia nom. ext., quae — nonnullis modo exemplis exceptis — Latine et scribenda et flectenda sunt, quoniam usu cotidiano ita iam erant vulgata, ut eorum peregrinitas noniam sentiretur et ab omnibus vel puri sermonis studiosissimis scriptoribus usurparentur; ordiendum mihi erat a comoedia quippe quod litte-

rarum genus servatum est antiquissimum. Verb. per. spectant 1. ad naturam ipsam (animalia, herbas, metalla) 2. ad hominem ipsum: a. res, quibus homines singuli utuntur (quae et ad victum cultumque et animos spectant) b. ad familiam c. ad rem publicam (rem militarem et sacralem). Tertium caput comprehendit Graecas voces, quae excusatione vel interpretatione annexa usurpantur a singulis scriptoribus. Quarto denique dissertationis capite disputatur de ea ratione, quam secuti sunt scriptores in voc. ext. compensandis vel interpretandis. Indices auctorum, rerum, verb. per., quae et usurpantur et introducuntur et compensantur, concludunt disputationem.

Quia his iniquissimis temporibus pecuniae penuria impedior, ne totam dissertationem typis describendam curem, mihi a philosophorum ordine Gryphiensi permissum est, ut prima tantum pars publici iuris fieret.

De rationibus, quas singuli scriptores ipsi de verbis peregrinis adhibendis vel compensandis constituerint.

1. Poetae scaenici.

Romanos iam antiquis temporibus, imprimis autem postquam bello Tarentino confecto urbes Magnae Graeciae sub dicionem populi Romani redactae sunt, Graecorum linguam cognovisse certum est. Itaque cum Ennius illorum genus poeticum Romam introduceret, 'omnes Romani, qui annalibus eius operam dederunt, litteris Graecis satis eruditi erant' [1]), ita ut valde dolendum sit, quod nullus in eius scriptis quoad servata sunt locus inveniatur, quo poeta ipse suas de verb. per. adhibendis rationes constituerit. Sed unum quidem comperimus ex Gelli [2]) 17, 1 Q. *Ennius tria corda se habere dicebat, quod loqui graece et osce et latine sciret.* Ubicumque igitur Enn. verb. ext. evitasse cognoscemus, eum hoc fecisse non quasi nescium Graecae linguae, sed prudentem atque scientem eum voc. Lat. esse usum intellegemus. Quam rationem poeta celeberrimus secutus sit, in singulis voc. Graec. contemplandis videbimus. Similiter res se habet de Enni discipulo Pacuvio; nam uterque poeta verba aliena apud posteriores scriptores usitatissima Latine interpretatus est, de qua re infra plura dicenda erunt. Neque reliqui poetae scaenici nobiscum communicaverunt, quam viam in verb. per. usitandis ingressi sint; nisi quod ex voc. Graec. usu aliquid de illorum rationibus

---

[1]) Sniehotta l. c. p. 60.

[2]) In scriptoribus citandis usus sum editionibus et notis Thes. ling. Lat.

concludere possumus [1]. Plautinae fabulae usum linguae Graec. apud Romanos illo tempore mirum in modum viguisse documento sunt, cum Terenti comoediae, quae non solum ut agerentur, sed etiam ut legerentur conscriptae erant, multo minorem verb. per. usum praebeant.

2. M. Porcius Cato.

Romae sane quidem non defuisse, qui vehementissime popularibus adversarentur, ne nimis mores atque Graecorum humanitatem amplecterentur, quae effusius ex bellis cum Carthaginiensibus gestis, ex illa Atheniensium legatione, ex mille nobilium Achaeorum exilio influere coeperant, iam concludere possumus ex illo Afrani versu com. 272, qui adulescentem Graeco more litteratum dicentem facit: *nam me pudet ubi mecum loquitur Numerius | Aliquid sufferre Graece; irridet me ilico.* Inter quos adversarios imprimis commemorandus est M. Porcius Cato, rigidus ille morum antiquorum fautor, qui P. Cornelio Scipioni opprobrio dederat, quod *cum pallio crepidisque inambularet in gymnasio, libellis palaestraeque operam daret* (Liv. 29, 19), qui senex Graecas litteras didicerat, eo scil. consilio, ut civibus suis Latinos libros legendos conscribere posset, is qui de Graecis litteris hanc sententiam proferebat: *dicam de istis Graecis suo loco, Marce fili, quid Athenis exquisitum habeam, et quod bonum sit illorum litteras inspicere, non perdiscere, vincam nequissimum et indocile esse genus illorum. Et hoc puta vatem dixisse, quandoque ista gens suas litteras dabit, omnia corrumpet* (Plin. nat. 29, 14), ille qui de Graecis medicis haec dicebat: *iurarunt inter se barbaros necare omnes medicina, sed hoc ipsum mercede facient* (ibid.), quo denique auctore anno 155 illa legatio quam primum ex urbe remota erat. Hunc virum voces mere Graecas in sermonem Lat. inculcavisse verisimile non est, cum voc. per. usu cotidiano trita in eius scriptis inveniantur. Sed Cato quamquam ne Graecarum disciplinarum atque artium auctoritas Romae progrederetur impedire non potuit, tamen

---

[1] Macr. sat. 6, 4, 17 (Vergilius) *inseruit operi suo et Graeca verba, sed non primus hoc ausus; auctorum enim veterum audaciam secutus est.*

in hac quidem re optime meritus est de civibus suis, quod rerum scriptores inde ab hoc tempore — paucis exceptis — lingua Lat. utebantur; aequales enim ut Q. Fabius Pictor, L. Cincius Alimentus, C. Acilius, A. Postumius Albinus res populi Romani gestas nonnisi Graece descripserant. De Catonis orationibus postea nonnulla dicam (p. 23).

3. Lucilius.

Ab hoc poeta nova quasi aetas in voc. per. recipiendis initium capere videtur, cum alienam a scriptoribus prioribus viam et rationem constitueret. Nam sicut apud Afran. illum adulescentem questum esse vidimus, quod vituperaretur, si secundum consuetudinem sermonis cotidiani voces Graecas insereret, ita Lucilium primum hanc viam inisse satis constat; qua de causa Horatius, 'gravissimus ille ut aliorum ita Lucili iudex', poetam vehementer reprehendit (serm. 1, 10, 20).

Cum igitur quaerendum sit, quo consilio Lucil. tot Graec. voc. in sermonem suum inculcaverit, necesse est videamus, quam rationem de verb. per. adhibendis poeta ipse constituerit. v. 15 Lucil. deum conquerentem facit de vocabulorum exterorum usu: *porro 'clinopodas' 'lychnos'que ut diximus semnos | Ante 'pedes lecti' atque 'lucernas.'* Similiter 17 *arutaenaeque, inquit, aqualis* (cf. Marx ad h. v.). Sed poeta antecedenti versu deum ipsum utentem facit Graeca voce, qua de causa ex his verbis per ironiam dictis fortasse concludere possumus illo tempore non defuisse, qui moribus antiquis Latinis tantum faverent et omnibus voc. per. usum opprobrio verterent, quamquam ipsi sermoni voces Graecas inserebant.

Aliter 88 sqq., quibus Mucius Scaevola T. Albucium, quod Graece potius quam Latine loqui mallet, patria lingua spreta exteram ascisceret, vehementer reprehendit his verbis: *Graecum te, Albuci, quam Romanum atque Sabinum, | Municipem Ponti, Tritani, centurionum, | Praeclarorum hominum ac primorum signiferumque | Maluisti dici. Graece ergo praetor Athenis, | Id quod maluisti, te, cum ad me accedis, saluto: | Chaere, inquam, Tite. lictores, turma omnis chorusque: | 'Chaere Tite'. hinc hostis mi*

Albucius, hinc inimicus. Lucil. igitur, etiamsi saepissime saturis secundum sermonem eruditorum vel urbanorum civium Graec. voc. inseruit, eadem vituperatione se non dignum esse putavit.

Similiter poeta graecissantes rhetores vituperat quinto libro, de quo Gell. 8, 8 dicit: *ὁμοιοτέλευτα ceteraque huius modi scitamenta quam sint insubida et inertia et puerilia, facetissime hercle significat in quinto saturarum Lucilius.* Neque aliter irridet Albuci adulescentis orationem 'diligenter elucubratam verborumque collocatione inusitata pueriliter numerosam' [1]) 84: *quam lepide lexis conpostae ut tesserulae omnes | Arte pavimento atque emblemate vermiculato.* Ex his omnibus versibus concludat quispiam poetam voc. Graec. sermoni Lat. inserere dubitasse; at contrarium invenitur! Cur igitur Lucil. versibus saepissime voces peregrinas inseruit?

Imprimis est considerandum, ad quales homines poeta scripserit. Cic. de orat. 2, 25 de hac re: *nam ut C. Lucilius . . . dicere solebat neque se ab indoctissimis neque a doctissimis legi velle, quod alteri nihil intellegerent, alteri plus fortasse quam ipse.* fin. 1, 7 *nec vero ut noster Lucilius recusabo, quominus omnes mea legant! . . . quorum ille iudicium reformidans Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere.* Lucil. igitur hominibus scripsit, qui ipsi Graece loquebantur, sed Lat. linguae non imperiti erant; opus igitur erat poetae rationem ducere huius favoris.

Denique ex Lucili ipsius verbis concludere possumus eum usitatissima tantum verba adhibuisse, id est vocabula, quae sumpta erant ex cotidiano sermone et omnibus nota; dicit enim poeta 650 *si quod verbum inusitatum aut zetematium offenderam.* 649 *quid ni et tu idem inlitteratum me atque idiotam diceres* [2]). Lucil. igitur vituperaverat aliquem poetam, quod inusitatis verbis usus esset, et optimo iure se hoc fecisse putabat, quoniam ille quoque similiter sibi opprobrio talium nominum usum dedisset. Huc accedit, quod poetam ipsum Athenis et rhetorum et philosophorum consuetudine usum esse verisi-

---

[1]) Marx ad h. v.

[2]) Cichorius *Untersuchungen zu Lucil.* Berlin 1908 p. 128 transmutat hos versus.

millimum est, ita ut Graec. voc. non quasi ex umbraculis, sed ex sole assumpserit. Magnam igitur verb. per. abundantiam in Lucili saturis inesse non mirabitur, qui haec omnia secum reputaverit.

4. M. Terentius Varro.

Sententia nostra, quae iam ex Lucili illis locis constabat Romae vel doctissimos et maxime litteratos viros cotidiano sermoni Graec. voc. inspergere solitos fuisse, imprimis confirmatur, si contemplamur saturas Menippeas Varronis, cuius frequentem verb. per. usum nemo ex scriptoribus quos pervestigavi ullo modo aequavit. In saturis enim nullus locus invenitur, quo Varro rationes de hac re constituerit; nonnulla etiamsi perpauca comperimus ex tribus locis in libris *de lingua Latina* et *de re rustica* inscriptis. Dicit enim auctor ling. 9, 22: *quotus quisque iam servos habet priscis nominibus ? quae mulier suum instrumentum vestis atque auri veteribus vocabulis appellat ? sed indoctis non tam irascendum quam huiusce pravitatis patronis.* Et cum hoc loco coniungenda sunt Varronis verba rust. 2 pr. 2: *quod dum servaverunt institutum, utrumque sunt consecuti, ut et cultura agros fecundissimos haberent et ipsi valetudine firmiores essent, ac ne Graecorum urbana desiderarent gymnasia. quae nunc vix satis singulae sunt, nec putant se habere villam, si non multis vocabulis retineant graecis, quom vocent particulatim loca, procoetona, palaestram, apodyterion, peristylon, ornithona, peripteron, oporothecen.* His igitur locis vituperat Varro cives suos, quod non satis habeant priscis nominibus ad res significandas uti, sed Graecos mores et Graec. voc. recipiant in Lat. sermonem. Quod igitur in eius scriptis multa verb. per. inveniuntur, imprimis considerandum est auctori saepissime Graec. nom. opus fuisse, quod etymologicam nonnullorum verborum originem investigandam sibi proposuerat. Deinde Varro libros suos legendos conscripsit doctis modo et litteratis popularibus, non artium et doctrinarum rudibus; nam ipse dicit rust. 3, 10, 1: *Transi nunc in illud genus, quod non est villa ac terra contentum, sed requirit piscinas, quod vos philograeci vocatis amphibium.* In Varronis igitur scriptis permulta verb. per. inveniri non mirandum est.

5. Auctor artis rhetoricae ad C. Herennium.

Imprimis inde a saeculo secundo praecepta Graecae rhetoricae Romanis innotuisse concludere possumus ex illa Atheniensium legatione Romam missa et mille Achaeorum exilio. Et quamquam saepius illis, qui antiquis moribus favebant, auctoribus et philosophi et rhetores Roma eiecti sunt, tamen irrita haec omnia; nam brevi post alii Graeci magistri in urbem venerunt, a civitatis principibus ipsis saepe invitati [1]). Quantopere vero iam Sullae tempore ars dicendi Romae convaluerit, satis cognoscere possumus ex ea re, quod tunc temporis duo simul libri de hac materia Latine scripti sunt: alter Ciceronis, de quo postea, alter quem auctor nescimus quis Herennio petenti misit, ut sine magistro artem dicendi discere posset. Quod in verb. per. usu contemplando minime neglegendum est [2]). — Uno loco rationem de Graecae rhetoricae terminorum usu et compensatione auctor constituit 4, 10 *quae enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata. Ergo haec asperiora primo videantur necesse est, id quod fiet rei, non nostra difficultate.* Quibus ex verbis auctorem omnes Graecos terminos in suam linguam transferre in animo habuisse apparet, etiamsi saepius huius modi Latina significatio apta non esse videbatur. Quamquam nova res erat, auctor tamen non confugit ad Graec. linguam, sed Latine loqui ausus est, et perrara sunt voc. mere Graec., quae nonnullis locis ad Lat. nom. planius illustrandum addidit, plerumque autem aliqua interpretatione vel excusatione annexa.

6. Lucretius.

Nunc Lucreti carmen *de rerum natura* contemplemur, ut quae in singulis libris verb. per. usurpaverit vel quae vitaverit aut nova vocabula fingendo aut iam usitata ad aliam significationem

---

[1]) R. Reitzenstein *Scipio Aemilianus und die stoische Rhetorik.* Straßburger Festschrift 1901 p. 143.

[2]) Ipse dicit 1, 1: *non enim spe quaestus aut gloria commoti venimus ad scribendum, quemadmodum ceteri, sed ut industria nostra tuae morem geramus voluntati.*

transferendo intellegamus. Quamquam iam secundi saeculi initio semigraecus Ennius Epicharmi philosophiam Latinae consuetudini tradere conatus erat, tamen gens Romana magis ad arma bellaque et totius orbis terrarum imperium quam ad artium litterarumque culturam nata esse videbatur, ita ut ille poeta dicere posset scen. 376 *philosophari est mihi necesse, at paucis; nam omnino haud placet.* Appium Claudium et Catonem libros philosophorum, qui Pythagorae partes sequebantur, legisse verisimile est. Sed hunc ipsum virum aliosque morum antiquorum fautores novas philosophiae doctrinas late diffundi passos non esse, quod ne adulescentes a vetere morum severitate degenerarent metuebant, inter omnes constat. Quare Alcaeus et Philiscus Epicurei, qui Romae primi philosophi exstiterant, anno 173 ex urbe expulsi sunt (Athen. 12 p. 547); idem factum est anno 161, quemadmodum scriptum videmus Gell. 15, 11, 1; et paulo post illa clarissima trium philosophorum legatio, quam Athenienses anno 156 Romam miserant, Porcio Catone suadente celeriter ex urbe remota est, ne iuvenes Romani nimis illorum facundiam et eloquentiam admirati ipsi doctrina graecanica imbuerentur atque res Romanas neglegerent. Sed semina ab illis nobilissimis Achaeis exulibus sparsa extingui non poterant; omnes enim illi viri nobiles Romani ut Scipiones, Laelii, Scaevolae, Furii Graecos philosophos ad se invitarunt. Imprimis bibliothecis conditis, quas Aem. Paullus ex Macedonia, Sulla Athenis, Lucullus ex Asia Romam transtulerant, Romanis occasio studiis philosophicis vacandi data erat. Ita Roma urbs imprimis inde a bello Mithridatico sedes est Graecarum quoque litterarum et Atticismus qui dicitur originem capit Roma et T. Pomponius Atticus, ille Ciceronis familiarissimus, *Ἀττικιανοῖς ἀντιγράφοις* maxima sibi merita peperit de librorum Graecorum traditione [1]).

Sed iam redeamus ad Lucr., qui similiter atque Cicero libros popularibus suis non modo Graecarum litterarum rudi-

---

[1]) Cic. de orat. 2, 154 *P. Africano, C. Laelio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt.* — cf. A. Hillscher *hominum litteratorum Graec. ante Tiberii mortem in urbe Romana commoratorum historia critica* Jb. f. klass. Phil. XVIII Suppl. Bd. 1892 p. 353.

bus, sed etiam doctis legendos conscripsit. Ac primum quidem, quas poeta ipse de philosophia interpretanda constituerit rationes, breviter exponamus! Dicit poeta 1, 136: *nec me animi fallit Graiorum obscura reperta | Difficile inlustrare Latinis versibus esse, | Multa novis verbis praesertim cum sit agendum | Propter egestatem linguae et rerum novitatem.* Et similiter queritur poeta 3, 258, quod patrii sermonis egestas se invitum abstrahat *ex quo pacto inter sese mixta quibusque | Compta modis vigeant rationem reddere aventem.* et item 3, 316 *quorum ego nunc nequeo caecas exponere causas | Nec reperire figurarum tot nomina quot sunt | Principiis, unde haec oritur variantia rerum.* Huc accedit, quod Lucr. primus Epicuri philosophiam in Latium transferre conatus est, ut poeta ipse dicit 1, 925 = 4, 1 *Avia Pieridum peragro nullius ante | Trita solo. iuvat integros accedere fontis | Atque haurire, iuvatque novos decerpere flores | Insignemque meo capiti petere inde coronam | Unde prius nulli velarint tempora musae.* 5, 336 *et hanc primus cum primis ipse repertus | Nunc ego sum in patrias qui possim vertere voces.* Quid igitur ex talibus poetae dictis concludere possumus? Lucreti temporibus linguae Lat., etiamsi per se nequaquam erat inops verborum, tamen deerat supellex quaedam philosophicorum vocabulorum, quibus Graecos terminos interpretari poterant scriptores Romani; Lucretio igitur cum verb. per. se vitaturum esse diceret, aut nova vocabula formanda aut iam usitata in aliam significationem detorquenda erant. Hic igitur poeta patrii sui sermonis egestatis quamquam sibi conscius est, tamen Graec. nom. respondentia Lat. verb. se reperturum esse sperat, ut haec deinde poetico modo prosequatur 1, 143 *quaerentem dictis quibus et quo carmine demum | Clara tuae possim praepandere lumina menti.*

7. Ciceronis rationes constitutae:

a. in libris rhetoricis.

Eodem fere tempore quo auctor ad Herennium primus Graecos rhetoricae terminos Latine convertere conatus est, Cicero illius praecepta artis, quae ut reliquae quoque doctrinae

paene tota debebatur Graecis, in communem usum transferre sibi proposuit, praesertim cum Romani ab huius generis rationibus longissime essent alieni; velut dicit M. Tullius de orat. 1, 83 *hos quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat* (Mnesarchus) *nisi quosdam operarios lingua celeri et exercitata*. ibid. 3, 93 *etiam Latini, si dis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt.* ibid. 95 *patitur enim et lingua nostra et natura rerum veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferri; sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc in hoc quidem genere nostri nulli fuerunt; sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi.*

Quomodo Cic. Graecos terminos transferre in animo habeat, compluribus locis dicit in libro, qui inscribitur *de oratore*: 1, 155. 3, 149 *ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis; aut iis, quae transferuntur et quasi alieno in loco collocantur; aut iis, quae novamus et facimus ipsi.* 3, 155 *quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato cum est dictum, illustrat id, quod intellegi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo.* Hanc transferendi rationem exemplis illustrans pergit Cic. 159 *nam si res suum nomen et vocabulum proprium non habet, ut pes in navi, ut nexum, quod per libram agitur, ut in uxore divortium, necessitas cogit, quod non habeas, aliunde sumere* (cf. or. 92).

Et re vera in hoc libro primum mere Graeca verba, quae ad rhetoricam spectant, inveniuntur, qua ex re iam concludere possumus illas rationes quas Cic. in philosophicis libris constituerit, ad eos solum libros de arte dicendi scriptos referendas esse, qui post annum 55 compositi sunt. Fortasse Cic. opprobrio datum est, quod in his quoque libris verba novaverit aut mutuatus sit; ait enim or. 211 *neque enim esse possunt rebus ignotis nota nomina, sed cum verba aut suavitatis aut inopiae causa transferre soleamus, in omnibus hoc fit artibus ut, cum id appellandum sit, quod propter rerum ignorationem ipsarum nullum habuerit ante nomen, necessitas cogat aut novum facere verbum aut a simili mutuari.* Quam ad rem quadrat id quod Caesarem librum *de analogia* anno 54, postquam Cic. opus de oratore

legit, conscripsisse verisimillime est; nam Cic. compluribus locis (ut de orat. 3, 39. 150) illam controversiam de analogia et anomalia attigerat.

Imprimis gravissima est illa ratio, quam Cic. top. 35 constituit: *quam Graeci ἐτυμολογίαν vocant, id est verbum ex verbo veriloquium: nos autem novitatem verbi non satis apti fugientes genus hoc notationem appellamus, quia sunt verba rerum notae. Itaque hoc idem Aristoteles σύμβολον appellat, quod Latine est nota. Sed cum intellegitur quid significetur, minus laborandum est de nomine.* Cic. igitur rem plane intellegi necessarium esse putat, etiamsi verb. Lat. ipsum non acute respondeat Graeco termino, nempe non tam accuratam et exquisitam subtilitatem quam elocutionis elegantiam et suavitatem secutus. (cf. p. 20)

b. in dialogis.

Multo plures terminos Graecos quam in libris rhetoricis adhibuit et interpretatus est et transtulit Cic. in libris de philosophia scriptis; sed priusquam accedamus ad singulos dialogos contemplandos, universas rationes, quas ipse Cic. de verb. per. adhibendis vel compensandis constituerit, breviter praemittamus. Jam ante eius aetatem nonnulli Romae exstiterant scriptores, qui Graecorum quorundam doctrinas philosophorum in patrium sermonem transtulerant; hos autem parum bene singula verba interpretatos esse eorumque sermonem elegantia atque subtilitate caruisse dicit Cic. ac. 1, 5 *non posse nos Amafinii aut Rabirii similes esse, qui nulla arte adhibita de rebus ante oculos positis vulgari sermone disputant, nihil definiunt, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique artem esse nec dicendi nec disserendi putant.* Nec vero aliter iudicat Cic. de illorum dicendi ratione atque sermone rudi et incondito fin. 1, 8 *ut abhorreant a Latinis, quod inciderint in inculta quaedam et horrida.* Tusc. 4, 5 *sapientiae studium vetus id quidem in nostris, sed tamen ante Laelii aetatem et Scipionis non reperio quos appellare possim nominatim.* epist. 16, 19, 2 illi *mali verborum interpretes* nominantur. Et similiter multis aliis locis Cic. dicit de illorum scriptorum oratione neque propria neque perpolita, velut fin. 3, 40 Tusc. 2, 7. 8 off. 2, 2. Qua de causa suum esse putat M. Tullius Latine de philosophia scribere; nam se ipsum ab

ineunte aetate philosophis illo tempore illustrissimis ducibus maxime operam dedisse sapientiae studio: Brut. 306 *cum princeps Academiae Philo cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugisset Romamque venisset, totum ei me tradidi admirabili quodam ad philosophiam studio concitatus, in quo hoc etiam commorabar attentius, quod etsi rerum ipsarum varietas et magnitudo summa me delectatione retinebat, tamen sublata iam esse in perpetuum ratio iudiciorum videbatur.* Similiter Tusc. 5, 5 nat. deor. 1, 6. Et eo magis elaborandum esse iudicat Cic., quo vetustiores huiusmodi libri inconsideratius ab optimis illis quidem civibus, sed non satis eruditis compositi sint: Tusc. 1, 5 *nam hoc modo consequemur, ut si occupati profuimus aliquid civibus nostris, prosimus etiam, si possumus, otiosi.* Tusc. 2, 5 *Philosophia nascatur Latinis quidem litteris ex his temporibus,* quam ob rem Cic. ibid. 2, 5 hortatur omnes, qui facere id possunt, ut *huius quoque generis laudem iam languenti Graeciae eripiant et transferant in hanc urbem, sicut reliquas omnis, quae quidem erant expetendae, studio atque industria sua maiores nostri transtulerunt.* Hoc modo sperat se quasi civitatem daturum esse philosophiae, *quae quidem adhuc peregrinari Romae videretur nec offerre sese nostris sermonibus* (fin. 3, 40). De ratione quoque, quam in conscribendis dialogis adhibendam putat, dicit Cic. fin. 1, 6 *quid, si nos non interpretum fungimur munere, sed tuemur ea, quae dicta sunt ab iis quos probamus, eisque nostrum iudicium et nostrum scribendi ordinem adiungimus? quid habent, cur Graeca anteponant iis, quae et splendida dicta sint neque sint conversa de Graecis?*

In hoc consilio Graecorum sapientiam in Latium transferendi Cic. haud ignarus est difficultatum, quae ei ex sermonis patrii egestate evenire debebant: rep. 1, 65 *tum fit illud, quod apud Platonem est luculente dictum, si modo id exprimere Latine potero; difficile factu est, sed conabor tamen.* Graec. autem voc. uti non vult, nam Lat. linguam ex Graeco thesauro ditare in animo habet atque curare, ut et indocti et docti populares opera sua intellegant legantque; quare vituperat Cic. eos, qui Graecas voces Lat. sermoni inserant, dum libros Romanis legendos conscribunt Tusc. 1, 15 *dicam si potero Latine. Scis enim me Graece loqui in Latino sermone non plus solere quam in*

Graeco Latine. off. 1, 111 *ut enim sermone eo debemus uti, qui innatus est nobis, ne ut quidam Graeca verba in Latino sermone inculcantes iure optimo rideamur.* Cic. igitur ridiculum putat voc. Graec. uti in aliquo opere et non nisi Graece colloqui; itaque fin. 1, 10 laudat Lucil., qui Mucium Scaevolam vehementer reprehendentem facit T. Albucium, quod Graece potius quam Latine loqui mallet: *ego autem mirari satis non queo, unde hoc sit tam insolens domesticarum rerum fastidium.*

Quonam igitur modo Cic. terminos Graecos vitare vult? Aut verba iam usitata, ut ipse ait, quasi alieno loco collocando aut nova nomina fabricando: eis locis quibus Cic. Lat. nom. ad aliam significationem transfert, solitus est addere particulas velut *quasi, quidam,* et ubicumque hac novas elocutiones fingendi licentia uti ausus est, se excusat multis verbis et Graecos idem fecisse indicat: ac. 2, 17 *evidentiam nos, si placet nominemus fabricemurque, si opus erit, verba, ne hic sibi (me appellabat iocans) hoc licere putet soli.* ac. 1, 24 *dabitis enim profecto, ut in rebus inusitatis, quod Graeci ipsi faciunt, ab quibus haec iam diu tractantur, utamur verbis interdum inauditis.* ibid. 1, 25 *quas ποιότητας Graeci appellant, quod ipsum apud Graecos non est vulgi verbum, sed philosophorum; atque id in multis.* ibid. 1, 25 dicit Cic. omnium fere artium esse commune earum verba non esse publica; deinde pergit *aut enim nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis transferenda. Quod si Graeci faciunt, qui in his rebus tot iam saecula versantur, quanto id nobis magis concedendum est, qui haec nunc primum tractare conamur?* Similiter ac. 1, 27. 41. 26 *audebimus ergo, inquit, novis verbis uti te auctore, si necesse erit.* nat. deor. 1, 44. 95 Tim. 13.

Saepissime dicit Cic. de verb. per. vel novorum usu in libro qui inscribitur *de finibus malorum et bonorum.* Et ego quidem puto obtrectatores aliquos — illos fortasse, qui ut Caesar analogiam linguae fundamentum esse dicebant — ei opprobrio dedisse, quod tot nomina inusitata in dialogis usurpavisset; Cic. igitur se defendit ab talibus iniustis vituperationibus et ut iam ante in Academicis denuo dicit Graecos philosophos haud aliter nomina inaudita, qnorum usus nequaquam vulgaris communisque fuisset, invenisse pro novis rebus; velut dicit 3, 3

idque cum Graecis, tum magis nobis, quibus etiam verba parienda sunt imponendaque nova rebus novis nomina. Quod quidem nemo mediocriter doctus mirabitur. Similiter 3, 4 et 5 *Zenoque eorum princeps, non tam rerum inventor fuit quam verborum novorum; quodsi in ea lingua, quam plerique uberiorem putant, concessum est, ut doctissimi homines de rebus non pervagatis inusitatis verbis uterentur, quanto id nobis magis est concedendum, qui ea nunc primum accedimus attingere?* 3, 51 *cum uteretur in lingua copiosa factis tamen nominibus ac novis, quod nobis in hac inopi lingua non conceditur* — ex his verbis imprimis concludere possumus Cic. aliquos de novis vocabulis fictis atque formatis exprobasse — *quamquam tu hanc copiosiorem etiam soles dicere.* Et adversarii re vera obmutuisse videntur; in posterioribus enim scriptis Cic. non habuit cur se defenderet, immo in libro, qui inscribitur *de fato,* laudem patrii sermonis aucti ipse sibi aperte vindicat nominans se ipsum 1 *augentem linguam Latinam;* cf. etiam nat. deor. 1, 8. Num merito Cicero tantam sibi laudem tribuerit, nostrum est ex eius scriptis demonstrare.

Ubicumque autem Cic. non satis fuit verb. Graec. transtulisse, ut res plane intellegatur, uni termino philosophiae Graeco duo, tria vel quattuor Lat. voc. adiunxit, ita ut terminum potius explanaret quam converteret et lector sententiam apertius perspiceret, qua re imprimis popularibus suis quantopere verbis et opibus sermo patrius abundaret et quid lingua Romana valeret ostendere poterat. Sane mirandum videtur, quod hi quoque loci, quibus de illa re constituit rationes, in libro *de finibus malorum et bonorum* tantum inveniuntur; sed haec cum opprobriis ei datis cohaerere mihi quidem verisimillimum videtur: fin. 3, 14 *unum istud, quod honestum appellas, rectum, laudabile, decorum — erit enim notius quale sit, pluribus notatum vocabulis idem declarantibus* et paulo post *ut hoc quoque pluribus nominibus insigne faciamus.* ibid. 15 *si enim Zenoni licuit, cum rem aliquam invenisset inusitatam, inauditum quoque ei rei nomen imponere, cur non liceat Catoni? Nec tamen exprimi verbum e verbo necesse erit, ut interpretes indiserti solent, cum sit verbum, quod idem declaret, magis usitatum. Equidem soleo etiam, quod uno Graeci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere.*

Altera lex, quam Cic. sibi ipse praescripsit [1]), est ut verborum suavitatem studiose appetat et exquisitam orationis elegantiam assequatur; qua de causa saepius compluria vocabula adhibet, si alterum a dicendi genere alienum esse videtur, vel si verbo quodam ei opus est, ut terminum Graecum uno verbo exprimat, excusat se pluribus verbis, velut fin. 3, 17 postquam tribus verb. Lat. explicavit κατάληψιν, pergit *vel si haec verba aut minus placent aut minus intelleguntur,* καταλήψεις *appellemus licet.* fin. 4, 72 *Graece* προηγμένα, *Latine autem producta, sed praeposita aut praecipua malo, si tolerabilius et mollius.* Tusc. 1, 14. 4, 16 *invidentia (utendum est enim docendi causa verbo minus usitato, quoniam invidia non in eo, qui invidet, solum dicitur, sed etiam in eo, cui invidetur).* top. 30 *formae, quas Graeci* ἰδέας *vocant; nostri species appellant, non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, specierum et speciebus dicere, ... at formis et formarum velim. Cum autem utroque verbo idem significetur, commodidatem in dicendo non arbitror neglegendam.* Similiter ibid. 35. 92.

Deinde saepissime, praesertim si Graec. verb. Cic. non addit, vocabulum novum atque inusitatum excusat quasi veniae petendae causa addens *ut ita dicam* et similia: de orat. 3, 165 *atque etiam, si vereare, ne paulo durior translatio esse videatur, mollienda est praeposito saepe verbo; ut si olim, M. Catone mortuo, pupillum senatum quis relictum diceret, paulo durius; sin, ut ita dicam pupillum, aliquanto mitius.* Porro Cic. sibi conscius est non semper verb. Lat. respondere Graecis philosophiae terminis (fin. 3, 17), ita ut quamquam absurdum atque inutilem verb. per. usum valde reformidat, cogatur voc. Graec. etiamsi nondum usitatum in linguam Lat. recipere; sed his quoque locis Latinam interpretationem plerumque addit; nam vis vocabuli dilucidior esse videtur, cum Graeco verbo explicatur. Qua de re ipse dicit M. Tullius pluribus locis: ac. 1, 25 *quin etiam Graecis licebit utare, cum voles, si te Latina forte deficient.* fin. 3, 15 *et tamen puto concedi nobis oportere, ut Graeco verbo utamur, si quando minus occurret Latinum, ne hoc 'ephippiis et acratophoris'*

[1]) Linderbauer l. c.

potius quam 'proegmenis' et 'apoproegmenis' concedatur; quamquam haec quidem 'praeposita' recte et 'reiecta' dicere licebit. Cic. igitur explicationem ad inusitata vocabula addidit, postea autem, cum frequentiore usu nova iam esse viderentur desiisse, interpretationem vel excusationem saepius omittere non dubitabat, quem usum et in internis et in externis nominibus adhibendis animadvertere possumus.

Denique Cic. dicit de verbis alienis ipsis, quibus utitur neque se excusans neque ea explicans; haec sunt vocabula, quae iam diu civitate erant donata et ab omnibus fere scriptoribus vel a puri sermonis studiosissimis usurpabantur; significant aut Graecas aut ex Graecia Romam translatas res, ad quas exprimendas lingua Lat. apta et idonea vocabula non obtulit: ac. 1, 25 *bene sane facis; sed enitar, ut Latine loquar, nisi in huiusce modi verbis, ut philosophicam aut rhetoricam aut physicam aut dialecticam appellem, quibus ut aliis multis consuetudo iam utitur pro Latinis.* ibid. 26 *itaque aer (hoc quoque enim utimur iam pro Latino).* fin. 3, 5 *quamquam ea verba, quibus instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus.* nat. deor. 2, 91 *mutuemur hoc quoque verbum* (aether) *dicaturque tam 'aether' Latine quam dicitur aer, etsi interpretatur Pacuvius, ... quasi vero non Graius hoc dicat.* ibid. 2, 91 *cui nomen est aer, Graecum illud quidem, sed perceptum iam tamen usu a nostris; tritum est enim pro Latino.* div. 2, 11 *aut quem ad modum soriti resistas (quem, si necesse sit, Latino verbo liceat acervalem appellare; sed nihil opus est; ut enim philosophia et multa verba Graecorum, sic sorites satis Latino sermone tritus est).* Idem dicere poterimus de illis verb. per., quae spectant ad poeticam, theatrum musicamque, velut *tragoedia, comoedia,* in quorum locum Lat. nom. supponi non poterant; itaque non meum esse potest omnia talia voc. ext., quae inveniuntur in Cic. dialogis, afferre. Attamen M. Tullium non semper illas constitutas rationes esse secutum in singulis libris contemplandis videbimus.

Ex his omnibus locis allatis satis apparet Cic. Graec. voc. summa cum diligentia, quoad fieri posset, vitare in animo

habuisse eumque de hac causa optime meritum esse, cum linguam Lat. augeret. Qua in re assequenda adiuvabatur summo ingenio et ardenti philosophiae studio, imprimis autem singulari patrii sermonis scientia; nam ipse dicit Att. 12, 52, 3 *ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt; verba tantum adfero, quibus abundo.* cf. fin. 2, 15. Optimo iure Cic., quamquam verb. per. saepe usus est, poterat aliquando affirmare linguam Lat. nequaquam inopem esse, immo locupletiorem etiam quam Graecam. Ipse gaudio huius rei elatus cum quadam ostentatione dicit ac. 1, 26 *tu vero, inquam, Varro, bene etiam meriturus mihi videris de tuis civibus, si eos non modo copia rerum auxeris, uti fecisti, sed etiam verborum.* fin. 1, 8 *ego autem quem timeam lectorem, cum ad te ne Graecis quidem cedentem in philosophia audeam scribere?* ibid. 3, 5 *et quoniam saepe diximus, et quidem cum aliqua non Graecorum modo, sed eorum etiam, qui se Graecos magis quam nostros haberi volunt, nos non modo non vinci a Graecis verborum copia, sed esse in ea etiam superiores, elaborandum est, ut hoc non in nostris solum artibus, sed etiam in illorum ipsorum assequamur.* Et quanta laetitia gloriatur elegantissimus ille dicendi arbiter de Lat. sermonis divitiis, si forte subtilius quoddam verbum se invenisse putat quam Graecum: Tusc. 3, 22. 23 *vocant enim πάθος, id est morbum, quicumque est motus in animo turbidus. Nos melius!* ibid. 2, 35 *itaque industrios homines illi studiosos vel potius amantis doloris appellant, nos commodius laboriosos; aliud est enim laborare, aliud dolere. O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Graecia!* et paulo post *haec duo Graeci illi, quorum copiosior est lingua quam nostra, uno nomine appellant.* 3, 10 *multoque melius haec notata sunt verbis Latinis quam Graecis, quod aliisque quoque multis locis reperietur.* Praeterea conferas, si placet, leg. 1, 27 fin. 5, 96 Tusc. 3, 11. 16. 4, 10. 54 nat. deor. 1, 8 div. 1, 1 Cato 45.

c. in orationibus.

Non in omnibus scriptis, quamquam ex eadem manu delapsa sunt, Cic. quod ad verb. per. usum et compensationem pertinet, sibi constitit. Imprimis ex orationibus omnes fere mere Graecas voces expulit neque sine aliqua causa voc. ext.

usurpavit neque unquam interpretationem vel explicationem ut in rhetoricis et philosophicis libris addidit. E contrario, multa verb. per., quae alibi sine ulla dubitatione usurpaverat, in orationibus manifesto vitabat et Latine explicabat, et ea vocabula aliena, quibus usus est, significant res ad communem vitae usum spectantes et a Graecis assumptas, qua de causa in orationibus accusatoriis saepius inveniuntur quam in defensionibus, quoniam in illis totam reorum vitam moresque Romani oratores attingere soliti erant [1]).

Quae omnia non miranda sunt. Nam quis senator aut iudex aut auditor in orationibus Graec. linguae verba desideraverit? Nonne potius reprehenderint oratorem, qui Graec. verb. in sermonem Lat. inculcavit, quod in auctoritatem et maiestatem Romanam peccaverit? Itaque iam Cato se excusavisse videtur, cum in oratione Graec. voc. uti cogeretur, quod Quint. inst. 3, 6, 97 servavit: *νόθον qui non sit legitimus, Graeci vocant, latinum rei nomen, ut Cato quoque in oratione quadam testatus est, non habemus, ideoque utimur peregrino.* Et similiter Cic. Phil. 1, 1 *in quo templo* (aede Telluris), *quantum in me fuit, ieci fundamenta pacis Atheniensiumque renovavi vetus exemplum: graecum etiam verbum (scil. ἀμνηστίαν) usurpavi, quo tum in sedandis discordiis usa erat civitas illa, atque omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam censui.* off. 2, 35 *popularibus verbis est agendum et usitatis, cum loquimur de opinione populari.* Cic. igitur quoad fieri potuit, in orationibus voc. per. fugit, exceptis illis contra Verrem compositis, de qua re facile excusationem inveneris: primum quidem haec est oratio accusatoria, unde haud iam mirum videtur, quod Cic. ut Verris 'Graeculi' mores et vitam privatam irrideret (ut *palaestricus*), nonnulla verb. per., etiamsi non necessaria, usurpavit; deinde illis orationibus Graecae imprimis res tractantur, denique non habitae sunt ante populum hac forma qua nos habemus, sed postea editae omni materia diligentissime a Cic. collata. Et similiter in aliis quoque orationibus, quibus de Graecorum more atque luxuria disserere cogitur, velut in oratione pro

[1]) Linderbauer l. c. I 24.

Murena aut pro Archia poeta aut secunda Philippica, Tullius multo plura voc. per. usurpat quam in eis, quae totae versantur in rebus publicis aut in quaestionibus de iure, quales sunt orationes Catilinariae, de lege agraria, oratio de imperio C. Pompei, div. in Q. Caec. [1])

d. in epistulis.

Quamquam in epistulis ipsis Cic., ut consentaneum est, de verb. per. usu non dicit, tamen hoc loco nonnulla verba facienda esse puto de illo litterarum genere, quo similiter atque Lucili et Varronis saturis litteratissimos et doctissimos viros Romanos illis temporibus Graecas voces sermoni inculcare solitos esse discimus; quare epistulae magnopere differunt ab omnibus aliis Cic. operibus; cum enim in libris rhetoricis et philosophicis M. Tullius utatur Graeco termino ob eam solam causam, ut Lat. voc. perlucidius faciat neque unquam nisi interpretatione vel excusatione adiuncta, in epistulis, quas ille non consilio postea edendi conscripsit, ea ipsa verb. ext., quae alibi explicaverat, quasi omnibus nota omni excusatione tamquam supervacanea omissa usurpat [2]).

In **secunda** dissertationis parte disputabam de voc. per. nulla excusatione vel interpretatione addita usurpatis. Plurima iam exstant in Plautinis fabulis; posteriores scriptores haec verba, quae significant res usu cotidiano vulgatas vel ad elegantiorem vitae cultum et voluptates vel litteras doctrinasque, quibus in omnibus rebus Romanos Graecis plurimum debere constat, adhibuerunt. Nonnunquam poetae metro coacti nom. ext. utuntur: Enn. ann. 510 *spiras legionibus nexit;* σπεῖρα hoc loco significat militum multitudinem, id est mani-

[1]) cf. Linderbauer l. c.

[2]) Rud. Boltzenthal *de Gr. serm. proprietatibus, quae in Cic. epist. inveniuntur* Progr. Cüstrin 1884. Guil. Dammann *Cic. quomodo in epist. serm. hominibus quos appellat et rebus quas tangit accommodaverit* Diss. Greifsw. 1910. R. B. Steele *the Greek in Cic. epistles* in Amer. Journ. of Phil. XXI 1900 p. 387.

pulum, quod vocabulum abhorrebat ab hexametro (Leo *Röm. Literaturgesch.* p. 184 adn. 2). Propter colorem poeticum usurpavit Enn. *tyrannus* ann. 109 *o Tite, tute Tati, tibi tanta tyranne tulisti* et *daedala Minerva* frg. inc. 46. Similiter res se habet apud Lucr., qui quamquam nom. lat. exstat, verb. per. utitur propter colorem poeticum: *cycnus* et *cycneus* 2, 824. 4, 181. 910 et saep. *calamus* [1]) 5, 1382. 1407 (*arundo* deest Lucr.). *lampas* 2, 25. 79. 5, 402. 6, 1197. *lampas* proprium sermonis poetici voc. invenitur quoque Plaut. Men. 840 Cas. 796. 840 Ter. Ad. 907 Acc. trag. 331. 670 Cic. Verr. 3, 115. Porro commemorem: *bucerus* Lucr. 5, 866. 6, 1245. *musaeus* ibid. 1, 934. 947. 4, 9. 22. *durateus* 1, 476. *daedalus* 1, 7. 228. 4, 531. *pontus* 1, 200 et saep. (iam Acc. trag. 399 Plaut. Trin. 984 Laev. carm. frg. 11 Trag. inc. 105. 107. 163) *pelagus* 4, 432. 5, 35. 6, 619 (Plaut. Persa 178, Leo: *placidum*. Pacuv. trag. 416 Acc. trag. 394 Trag. inc. 253). *coma* 4, 1224 (Enn. ann. 349 Pacuv. trag. 20 a. 350 Afran. com. 244 Acc. trag. 211. 674 Trag. inc. 221 Catull. 61, 78. 66, 51).

Interdum scriptores verb. per. ex Graecorum operibus hausisse verisimile est, qua de causa nobis non licet concludere res quoque Romanis iam notas fuisse; velut a Plauto plurima piscium nomina nominantur in fabulis, quae in maris litore aguntur, et ea res quod saepius piscatores pisces peregrinos enumerant, et praecipue quod a posterioribus scriptoribus omnino non aut perraro commemorantur, impedit nos, ne ex semel facto commemoratu falsas faciamus conclusiones. Plautum verb. per. *triobolus* Poen. 381. 462 et saep. et *ephebus* Merc. 40. 61 quae vocabula usu cotidiano trita non esse videntur, e comoediis Graecis recepisse verisimile est. Lucil. nominat 159 *rinocerus velut Aethiopus,* quamquam ex Plin. nat. 8, 71 constat Pompeium anno demum 55 Romanis rhinocerotem ostendisse. Contra ea videmus vel voc. mutuata ut *elephantus* a poetis vitari: Naev. carm. frg. 62 *atque prius pariet bovem lucusta Lucam* et similiter Plaut. Cas. 845 Lucr. 5, 1302. 1339 (6,1114 poeta verb. per. — interpretatione addita — adhibet,

---

[1]) legitur inde a Plauto.

ut elephantiasim significet). Porro notandum videtur Ter. [1]), qui ipse dicit Haut. 46 in hac comoedia esse puram orationem, id est integram sermonis cotidiani speciem, perpauca modo voc. ext. recepisse, si cum Plauto comparamus; neque *machaera* neque *chlamys* verbis utitur neque ulla ad vestem et luxuriam pertinentia nomina inveniuntur. Primus recepit in linguam Lat. Ter. voc. Graec. *psaltria* (tantum in Ad. exstat) et *citharistria* Phorm. 82. 144; in eadem significatione multis locis adhibetur *fidicina* (Cic. phil. frg. X 3 *admonuisse tibicinam, ut spondeum caneret, Pythagoras dicitur)*. Saepius Plaut. servos et parasitos et lenones introducit, qui secundum sermonem cotidianum Graecas voces inculcaverunt; sed uno exemplo excepto — senex Lysidamus Cas. 728 respondet servo suo Graece loquenti — nusquam adulescentes Graec. voc. utuntur. Similiter Ter.: *mastigia* Ad. 781. *sycophanta* Andr. 814. 919. *colaphus* Ad. 199 (leno; sed 171 *quin pugnus continuo in mala haereat* adul.) aliaque exempla. Fabulae reliquorum poet. scaen. simillimae sunt comoediis Plautinis. Enn. in Hedyphageticis permultis verb. per. usus est, non quasi huius rei studiosissimus fuisset, sed quia respondentia Lat. nom. non exstabant (34. 36. 42. 44 et saep. patrii sermonis voc.). Quod ad fabulam togatam attinet, iam ex ea re, quod in hoc genere vita Romanorum praecipue ordinis plebeii describebatur et personae servi et meretricis demovebantur Latinis partibus, concludere licet verb. per., quae illic inveniuntur, e cotidiano sermone sumpta atque non iam trita fuisse. Denique permulta voc. per. exstant in mimis et in Laevii versibus, cum Lucr. Cic. Varro Cato — exceptis rebus, de quibus in singulis operibus praecipue agitur velut Cato agr. et Varro rust. permulta herbarum ex Graecia importatarum nomina leguntur — ea modo verb. Graec. assumpserint, pro quibus Lat. inveniri non poterant. Nonnunquam idem scriptor et ext. et int. nomen usurpat: Cic. nat. deor. 3, 27 *harmonia*. 3, 28 *convenientia* (a Cic. ficta) *consensusque naturae*. parad. 2 *haeresis*, cum in posterioribus scriptis Cic. hoc voc.

[1]) Hauler in editione Terentii Phorm. p. 73 enumerat voc. per., quae primum inveniuntur apud Ter.

Graec. vitaverit. Apud Acc. trag. 678 primum occurrit *polus*, sed Lat. quoque voc. usus est poeta 566 *sub axe posita ad stellas septem*. Similiter Cic. nat. deor. 2, 105 *polus*. 106 *caeli vertex*. Porro Ter. Haut. 739 *pompa;* eandem vim et significationem habet eiusdem fabulae v. 751 *illancine mulierem alere cum illa familia*. Denique *mysterium* Varro ling. 7, 11. 34 Men. 373 frg. Aug. civ. 4, 31; neque Varro sibi constitit; nam Men. 191 rust. 3, 1, 5 ling. 5, 58 verb. per. vitavit (cf. Cic. leg. 2, 36). Laberius saepius Graecos terminos philosophicos usurpasse videtur, quos posteriores scriptores vitaverunt aut introduxerunt: *Pythagoram dogmam* mim. 17. *ex Cynica haeresi* 36. Similiter Lucil. 1236 *Laelius, sophos ille*. 786 sqq. poeta Graecos terminos addidit, sed non illo modo ut Enn. vel Cic., qui contentione quadam et comparatione annexa terminos introducunt; 635 utitur Lucil. verb. Lat.; 186 et 753 neque ulla excusatione neque interpretatione addita termini usurpantur plerumque Graeca terminatione adhibita. Apud ea verb. per., quae nondum usu percepta erant, scriptores Graecam terminationem retinuerunt. Naev. trag. 20 et Acc. trag. 238 *melos*, cum Pacuv. trag. 312 et Enn. ann. 299 Latina terminatio exstet (Novius Atell. 55 *melum)*. Interdum idem scriptor utramque terminationem adhibet: Varro rust. 1, 40, 1 *physicos Anaxagoras*. ibid. 1, 1, 8 *Democritus physicus*. Men. 397 *rhythmus et melos*. frg. Non. p. 213 *melus*. Similiter Lucr. 4, 1160 sqq., quo loco aliquem quasi loquentem de amicae suae virtutibus inducit, plerumque Graecas terminationes in linguam Lat. ascivit velut *melichrus acosmos chariton*, cum alibi exceptis eis locis, quibus Graecum terminum introduxit, formis alienis abstinuerit. Quamquam Cic. in orationibus diligentissime sermonis integritati studuisse postea videbimus, tamen aliquoties imprimis in orationibus Philippicis et contra Verrem utitur voc. per., pro quibus respondentia Lat. exstabant, ut hoc modo adversariorum vitam privatam tamquam mollem vehementius et acerbius reprehenderet: *hydria* Verr. 3, 47. 5, 32. *scyphus* ibid. 3, 47. 5, 24. *scaphium* 5, 37. 54. *peripetasma* 5, 27. *conchyliati peristromata* Phil. 2, 67 (iam Plaut. Stich. 378 Pseud. 146) *chlamys* Rab. Post. 27, quo loco Cic.

dicit de imperatore Graecorum mores imitante (Rhet. Her. 4, 47, 60) *diadema* Phil. 2, 85. 3, 12 (sed paulo post *si Caesar ab eo regni insignia accipere voluisset) dica* Verr. 3, 37. 42. 44 (et Plaut. et Ter. ubi de Graecis rebus dicunt, hunc terminum iuridicialem usurpant: Poen. 800 Aul. 759 Phorm. 127 et saep.) *toreuma* 3, 128. 5, 35 (abl. et dat. Graec. — *atis)* multaque alia.

Capite dissertationis **tertio** de verb. per., quae excusatione vel interpretatione addita introducuntur, disputatur; verba significant imprimis Graecos terminos id est voc., quae non ex cotidiano vitae usu, sed ex Graecis litterarum fontibus in Lat. sermonem recepta sunt. Scriptores his nominibus eo uno consilio utuntur, ut Lat. verb., quod aut novum fabricantur aut ad aliam significationem transferunt, plane intellegatur, et introducunt Graecum terminum eodem fere semper modo *quod Graeci dicunt, nominant, appellant,* addentes multis locis Latinum terminum. Apud singulos poet. scaen. talem verb. per. usum non invenimus exceptis Ennio et Pacuvio [1]). Illum ann. 148 (lib. 3) Graeco verbo Lat. nomen opponere atque alienam accusativi formam adhibere videmus, cum sat. 41 *quem Graeci vocant aerem* Latina flexione usus sit; ann. 454 (lib. 18) *aera fulva* Enn. verb. per. neque se excusans neque id transferens utitur, sed peregrinitatem mitigare videtur, cum genus fem. adhiberet Homerum scil. secutus ἠέρα βαθεῖαν; animadvertimus igitur in hoc verb. ext. usurpando progressionem quandam (Cic. nat. deor. 2, 91 *tritum est enim pro Latino.* cf. ac. 1, 26 Tim. 15. 45. 47. 50 *anima* = aer). Ann. 218 transfert Enn. σοφίαν Lat. verb. *sapientia,* quia nondum erat communi usu tritum, cum iam Afrani tempore *sapientiam* illa vi et significatione praeditam fuisse concludere possumus ex com. 298. Verbum quoque *aether* ab Enn. introducitur sacr. hist. 102 (secundum Lact. inst. 1, 11, 63), cum sat. 4 et ann. 531 nulla explicatione annexa inveniatur. Sed postquam antea usum nominis *aer* vidimus, nunc concludere velim poetam fortasse in antecedentibus libris ut *aera* ita *aethera* quo-

[1]) Plaut. Truc. 78a multi interpolatoris esse putant. Plautina censent Vahlen et Leo.

que transtulisse, deinde in posterioribus voc. per. quasi omnibus noto usum esse Ennium; valde dolendum igitur est, quod cuius libri hic versus sit non constat. Pacuvi fabulae in voc. per. compensandis simillimae sunt magistri operibus, id quod imprimis confirmari censeo trag. 90, ubi poeta nomen *aether* explicat, cum paulo post 93 similiter atque Enn. id iam quasi civitate donatum adhibeat. Nec aliter res se habet apud Catonem, quem iam supra (p. 23) in oratione quasi veniae petendae causa se excusavisse, quia verb. Graec. *νόθον* usurpaverit, commemoravimus; cui loco addenda sunt agr. 102 et frg. Non. p. 77, ubi scriptor Graecam terminationem adhibuit. Lucil. quamquam permultas voces per. sermoni Lat. inculcavit, tamen uno versu 755 vocabulum *σχολήν*, quod posteriores scriptores imprimis Cic. saepissime nulla excusatione addita usurpaverunt, introducit et Graecam terminationem servavit. Etiam apud Lucr., qui se Graecae philosophiae terminos conversurum esse professus erat, reperiuntur complures loci, quibus poetae illud consilium non contigit, qua de causa his versibus occurrit verb. Graec. sed plerumque aliqua excusatione quasi veniae petendae causa annexa (1, 831 *nec nostra dicere lingua | Concedit nobis patrii sermonis egestas, | Sed tamen ipsam rem facilest exponere verbis).* Sed postquam poeta hoc modo verb. per. semel introduxit, in sequentibus versibus eo ut omnibus noto uti non dubitat, praesertim cum difficile sit Graecum terminum iterum atque iterum pluribus verbis exponere: *harmonia* 3, 99. 117. 4, 1248. *homoeomeria* 1, 830. 834 Graeca terminatione retenta. *lapis Magnes* 6, 907. 1046. *prester* 6, 423. 445. Si numerum Graec. terminorum, quos Lucr. propter patrii sermonis egestatem usurpavit, conferimus cum voc. mere Graec., quae exstant apud Cic., poetam perraro illa licentia, quam M. Tullius saepissime adhibuit in dialogis, usum esse intellegimus. Similiter auctor rhetoricae ad Herennium nonnullis locis ad Lat. nom. planius illustrandum Graec. voc. addidit. Cic. in libris rhetoricis perpauca voc. ext. assumpsit in linguam Lat. velut *rhetor, rhetoricus, prooemium, epilogus, ironia* (sed Verr. 5, 144 *irrisio*), imprimis ad communem vitae usum pertinentia, quae sermoni Lat. tamquam aliena non intervenie-

bant. In libris ante annum 45 scriptis maiore diligentia verb. mere planeque Graec. vitavit quam in eis post illum annum: Brut. 275 *illa lumina, quae vocant Graeci σχήματα.* inv. 2, 49. de orat. 3, 201 Graeci termini desunt; quae ratio similis est ei, quam Cic. in libris philosophicis constituit; neque hoc mirandum est, cum illo tempore eum iam maxime operam dedisse philosophiae studio inde concludere liceat, quod non multo post dialogi Academica et de fin. bonorum et malorum libri in lucem editi sunt. In libro qui inscribitur Orator ad. M. Brutum Cic. paulo liberius ac saepius illa ratione usus est eo consilio, ut rem illustraret: 10 *formas appellat ἰδέας ille Plato.* 36 *formam, qui χαρακτήρ Graece dicitur.* Magna sermonis integritate et sinceritate praestat dialogus de part. or., quem in usum filii sui conscripserat; nullo loco Cic. terminum Graecum addidit: cf. part. 65 et Top. 83 orat. 36; part. 72 et orat. 166. 170. In libris de philosophia scriptis Cic. praeter ea voc. per., quae nova apud Romanos introducta erant cum novis rebus, terminos Graecos eo consilio usurpat, ut Lat. nom., quod ad aliam significationem transtulerat aut novum fabricatus erat, planius reddat — interdum saepius Graeco termino usus velut ἔννοια ac. 2, 21. 30 fin. 3, 21 Tusc. 1, 57. δόγμα ac. 2, 27. 29. 106. 109. ἡδονή fin. 2, 8. 12. 13. 3, 35. Porro eum in prioribus dialogis maiore cum diligentia verb. Graec. vitasse et interpretatum esse quam in posterioribus videmus. Ex verb. ext. ad philosophiam ipsam pertinentibus tantum usitatissima ascivit velut *philosophia, philosophus, ironia, dogma* [1]), *atomus, harmonia, pronoea* atque haec ipsa saepius Latine explicavit; eximia sermonis integritate praestant dialogi de senectute et de amicitia. Magna differentia est inter Cic. libros rhet. dialogosque et orationes, in quibus ea verb. per., quae usurpare cogitur, explicat vel interpretatur, quod Romanis respondentia Lat. verb. non exstabant velut Verr. 3, 50. 154. 5, 128. 132. 6, 148 aliaque; etiam pro usitatissimis voc. circumscrip-

---

[1]) Quod in finibus neque *visum* neque *dogma* neque *decretum* explicantur, iam Linderbauer l. c. I p. 46 concludit libros de fin. posteriores esse Academicis; imprimis conferas fin. 2, 28. 3, 105. 2, 1. 4, 50 — ac. 2, 27. 29. 49. 72.

tiones adhibet: *doctrina*=philosophia Mur. 60. 62. *rex*=tyrannus Verr. 5, 29. Aliter res se habet in epistulis, quibus Cic. similiter atque saturarum scriptores Lucil. et Varro secundum eruditorum Romanorum sermonem aliquot voc. mere Graec. linguae Lat. miscuit; sed Graec. voc. non opponuntur Lat. nom. nonnullis locis exceptis ut Att. 1, 16, 8. 4, 4a, 1. 16, 4, 3 aliisque.

Similiter Varro in Men. permultas voces mere Graecas in sermonem suum inculcavit nulla explicatione vel excusatione annexa; Men. 541 voc. per., quod Cic. saepius adhibuit, introducitur: *venio nunc ad alterum genus testamenti, quod dicitur physicon.* In ling. Lat. Varro ut iam priores grammatici ad ingenuam significationem cuiusque verbi prospiciendam ad originem recurrebat et etymologiam prosequebatur, qua in re saepissime Graec. nom. usurpare cogebatur. His vocabulis exceptis Varro saepius Latino termino Graecum addidit, quod imprimis attinet ad artem grammaticam, ut vis atque significatio nominis dilucidior fieret, et similiter atque Cic. introduxit per. nom. eisdem fere semper verbis *quam Graeci vocant, dicunt;* postquam autem tali modo terminum interpretatus est, saepius eum quasi omnibus notum usurpare Varro non dubitat velut *etymologia* ling. 5, 2. 7, 9; *anomalia* et *analogia* ibid. 8, 23. 9, 1. 33. 10, 1. 16. 74. Pauciora voc. mere Graec. inveniuntur in libris rerum rusticarum; nova accedunt verb. per., quae ad pecuaria, apium cultum cellamque torculariam spectant et quae nondum usu cotidiano recepta esse videntur, praesertim cum Graeca terminatione afficiantur: *archetypon, ornithotrophion* 3, 5, 8. *ornithoboscion* 3, 9, 2. *melitturgoe* 16, 3 alia.

Quarto denique dissertationis capite disputabam de ea ratione, quam secuti sunt scriptores in verb. ext. compensandis vel interpretandis, quod attinet imprimis ad doctrinarum terminos, ut intellegi possit, quantum auctores Romani elaboraverint, ut philosophiae, rhetoricae, grammaticae terminos Latine transferrent et novam patrio sermone augendo assequerentur laudem. Apud Enn. *sapientia* significat philosophiam ann. 268. *sapiens* = σοφός scen. 273. *malitia* = κακότης scen. 223. *genitalis* = τὸ γόνιμον ann. 115. Sat. ap. Varr. rust. 1,

4, 1 Enn. principia mundi enumerat; *anima* est conversio Graeci termini aer, cum aliis locis *anima* idem significet quod ἀρχή (Lucr. 5, 236. 6, 578. 693 anima = aer). Apud Pacuv. non inveniuntur *petra* et *platea,* sed *saxum* et *via* trag. 11. 100. Cato neque *aura* neque *aere* utitur; porro dicit *lapicidinae* agr. 135, 6 (non latomiae), *bilis atra et iecur* 157, 7 (non *melancholia* et *hepatia* ut Lucil. 310), *brassica* et *pomarium* 156, 1. 48, 1 (non *raphanus* et *oporotheca* ut Varro rust. 1, 23, 7. 1, 2, 10). Lucil. nonnullis locis nova verba fabricatus est velut 72 *capitatus* = κεφαλωτός (cf. Marx); porro transtulit 1294 *numerus* = μέτρον, modus = ῥυθμός; neque *platea* neque *astrum* [1]) invenitur, sed *via* 993 et *sidera* 799; conferas adnotationes Marxi ad v. 215. 247. 330 al. Lucr. saepe verbis *quod vocamus, nominitamus, vocitamus* significat aliquod Lat. nom. esse translationem Graeci termini, ita ut quisque statim cognoscat nomen in aliam significationem transferri: 1, 368. 439. 458. 3, 94. 139. 352. 4, 30. 6, 297. Saepius autem illa verba omittens usurpat poeta Lat. voc. quasi omnibus notum, quem Graecum terminum hoc modo interpretetur; non invenitur atomus, sed *rerum primordia, glomeramina, corpuscula, figurae* aliaeque conversiones; non philosophia scil. metro dactylico non apta, sed *doctrina sapientium* 2, 8; non paradoxon, sed *mirabile* 2, 308; non echo (ut Acc. trag. 572 Laev. carm. frg. 10), sed *imago* 4, 570 (cf. Cic. Tusc. 3, 2 Varro rust. 3, 16, 12); non sphaera, sed *globus* 5, 69 aliaque. Saepe fit, ut idem Lat. nom. variis significationibus usurpetur et perlucida interpretatio Epicuri philosophiae poetae non contigerit: *ratio*=Grund, Berechnung 1, 108, = philosophia 1, 50. 3, 14. 5, 9; *coniunctum est* = συμβεβηκός 1, 451, = συμπαθής 3, 136. Neque semper Graecus terminus eodem Lat. verb. explicatur et transfertur: ψυχή = *causa* 1, 154, = *principium* 1, 707; sed quis illo tempore Romae de philosophiae doctrina tam perlucide et aperte disputare potuit, ut iam nihil obscurum atque reconditum relinqueret? Similiter auctor artis rhet. ad Her. secutus

[1]) Thes.: in carmine primus posuit Cic. Arat., in prosa oratione Varro ling.

rationes, quas ipse constituit, omnes fere terminos transtulit: *exordium* 1, 3, 4 = προοίμιον, *conclusio* ibid. = ἐπίλογος; sed quod perraro Graec. nom. addidit, ut Lat. plane cognoscatur, idem verbum saepius translatio complurium terminorum est velut *conplexio* = συμπλοκή 4, 14, 20, = συστολή 4, 21, 29; *coniunctio* = συνεζευγμένον 4, 27, 38, = σύνδεσμος 4, 30, 41 al. Tales obscuritates auctori opprobrio dare non possumus, quippe qui primus rhetoricam in Lat. sermonem introduxerit et quamquam res nova erat, tamen non ad Graec. linguam confugerit. Cic. in libris rhet. et in dialogis [1]) plurimos Graecos terminos Latine interpretari conatus est aut nova voc. fabricando — saepe magna cum anxietate inv. 1, 74 *ambiguitas* (Rhet. Her. 2, 11, 16 *ambiguum)* top. 92 *iuridicialis (quamvis molestum nomen hoc sit)* — aut verba iam usitata in aliam significationem transferendo. Si qua verba primum certa vi praedita usurpat, saepissime ipse indicat addens excusationes velut *nos nominamus, licet vocare, ut ita dicam, quasi, quidam* similiaque. In prioribus libris anxietate quadam terminos Graecos non tam explicavit quam interpretatus est (inv. 1, 27 de orat. 2, 133), cum in posterioribus magis certe fixis vocabulis illos transferat et maiorem verborum varietatem adhibeat (orat. 12 et inv. 1, 34; fin. 5, 5. 12. 83 et Tusc. 5, 13. 14. 71 Cic. circuitionibus utitur, ut εὐδαιμονίαν explicet, cum nat. deor. 1,95 *beatitas* sive *beatitudo* dixerit; ac. 2, 97 et 118 desunt Graec. termini, qui exstant top. 15 et fin. 1, 21). Quoniam ars grammatica iam ante Varronis tempora apud Romanos vigebat et plurimi termini Lat. nom. erant translati (cf. Aur. Opillium frg. 28 Fun.), Varro patrii sermonis verba neque interpretatione neque Graeca voce annexa, iam praedita certa vi et significatione usurpare poterat; similiter adhibet philo-

---

[1]) C. M. Bernhardt *de Cic. Graec. philos. interprete* Progr. Berlin 1865. C. Crome *quid Graecis Cic. in philos. quid sibi debuerit* Düsseldorf 1855. V. Clavel *de Cic. Graecorum interprete* Paris 1868. C. Atzert *de Cic. Graecorum interprete* Diss. Gött. 1908. R. Fischer *de usu voc. apud Cic. et Sen. Graec. philos. interpretes* Diss. Freib. 1914 (p. 7 *elegi autem eam partem philos. qua de bonis malisque philos. disputabant*).

sophiae quoque terminos, quippe qui Ciceronis dialogis illo tempore iam omnibus doctis atque litteratis Romanis noti fuerint (ling. 5, 11. 6, 39 rust. 3, 1, 5).

Nemo negabit ut summam faciam imprimis Ciceronem summopere studuisse, ut eleganti ornatu Latino Graecas litteras suis civibus mandaret eaque de causa optime meritum esse de lingua Lat., ita ut Plinius nat. 7, 30 eum nominare posset *parentem facundiae latinarumque litterarum* atque ipse Caesar singulari illa laude extolleret, quam Cicero Brut. 252 servavit.

Vita.

Natus sum Aloysius Nentwig a. d. VIII id. Jul. anni proximi saeculi XC in pago Hausdorf prope Neurode comitatus Glacensis oppidulum sito, ex patre Emanuele et matre Maria de gente Hein, quos ambos adhuc salvos esse gaudeo. Borussus sum civis, fidem profiteor catholicam. Primis litterarum elementis in vico patrio et Reinerz imbutus per septem annos gymnasium Glacense frequentavi. Vere anni MCMX testimonium maturitatis adeptus primum in universitate Friburgensi, tum Monachi studiis philologicis, historicis, philosophicis me dedidi. Autumno anni MCMXI Vratislaviam me contuli, ubi per unum semestre versatus sum. Mense Aprili anni MCMXII nomen meum in album universitatis Gryphiensis relatum est, cuius per quinque semestria fui civis academicus. Studium meum iam iamque eram absoluturus, cum bellum exarsit atrocissimum. Statim nomen meum dedi inter milites, ut patriam virtute tunc florentem et potentia ab inimicorum rabie defenderem. Fui in armis usque ad exitum nunquam satis deplorandum. Deinde dimissus munus mihi demandatum est praeceptoris in schola publica Coesliniana, quo adhuc fungor.

Hi me docuerunt viri doctissimi: Friburgenses: Aly, Cohn, Schwartz, Thurneysen; Monacenses: Buchner, Crusius, Güttler, de Heigel, Jansen, Jacobsohn, Königer, de Leyen, Otto, de Poehlmann, Rothenbücher, Streitberg, Weyman; Vratislavienses: Cichorius, Foerster, Kaufmann, Preuß, Roeder, Scheer, Schrader, Skutsch, Ziegler; Gryphienses: Bernheim, Friederichsen, Glagau, Hosius, Lommatzsch, Mewaldt, Otto, Pernice, Pietsch, Rehmke, Schoene. Postquam per quattuor semestria proseminario philologico interfui, vere anni MCMXII receptus

sum in inferiorem seminarii philologici Gryphiensis classem, sex mensibus post in classem mediam, deinde in classem superiorem, cuius sodalis fui per duo semestria Hosius, Lommatzsch, Schoene moderantibus. Ad exercitationes historicas aditum mihi praebuerunt Bernheim, Cichorius, Otto, Preuss, ad archaeologicas Pernice, ad geographicas Friederichsen.

Omnibus magistris optime de me meritis me semper gratum fore pronuntio, praecipue Ernesto Lommatzsch, qui et ad hanc dissertationem scribendam me incitavit et in opere perficiendo semper semperque consilio adiuvit.